

*Bibliothèque numérique*

**medic@**

**Paulet, Jean-Jacques - candidat /  
Bidault, François - président. - An in  
omnibus Paronychiae speciebus,  
partis incisio, tutissimum praesidium  
?**

**1772.**

**Paris : Typis Quillau,  
Saluberrimae Facultatis  
Medicinae Typographi  
Cote : ms 2336 n°134**



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé  
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes  
.fr/histmed/medica/cote?ms02322\\_ms02337ax15x0134](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax15x0134)

795

134

# DEO OPTIMO MAX.

## UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ;

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

### QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA, QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

*manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis trigesimâ  
mensis Aprilis, anno Domini M. DCC. LXXII.*

### M. FRANCISCO BIDAULT,

Scholarum Professore designato,

Doctore Medico, Præside.

*An in omnibus Paronychiæ speciebus, partis incisio, tutissimum præsidium ?*

I.



UAM lugenda fors hominum ! Irrequieti fato vitæ intima penetrabilia morbis dirissimis depasci non suffecerat ; partibus etiam à vitæ prima scaturigine remotis , structurâ apparatuque maximè sensilibus , haud invidiosæ voluptati motuique ad hominis tutelam necessario dicatis , telum affert quandoque acerbissimum periculosissimumque. Huic debellando sicut & aliis externis affectibus urgente necessitate doloreque , primi homines medicinæ rudes omnia indiscriminatim in auxilium vocavere. Contraria contrariis , sibi ipsis homogenea , venenata venenatis , pro re nata , casuque fortuito opponabant. Hinc medicamentorum seu potius nocentium natâ numerosa proles. Herbarum simplicior salubriorque erat quandoque usus & applicatio. Non alius mos Æsculapio Chironique , primis rei herbariæ cultoribus. Machao verò Podalyrusque postea audaciori manu belli Trojani temporibus ferrum ferro opposuere. Inustionis etiam tanquam præstantissimi auxilii apud gentes antiquissimas invaluit usus , teste Hippocrate (a) valetque hodie apud easdem (b) & ignis ab ipso frequenter usurpatus , nobilitatus fuit , dicente : *Quæ medicamentum non sanat , ferrum sanat ; quæ verò ferrum non sanat , ignis sanat.* Inustioni seu cauterio actuali , apud gentes Europæ delicatiores pusillanimesque , cauteria mitiora potentialia dicta ( an in artis emolumentum decrementumve ) ferventia , exedentia varia , caustica , epispastica , &c. succedere. Hæc ferè omnia nec non fortiora astringentia , discutientiaque vicissim in Paronychiæ curâ adhibita fuere. Sed circa hæc dubius semper hæret animus , ni partis afflictæ structuram probè calleat , malique sedes ex hac genuina detegatur. Hâc viâ devolvuntur , ratione situs , diversæ Paronychiæ species instituique potest recta curandi methodus. Quare primò ultimæ Phalangis digitorum compages paucis delineanda venit.

(a) Lib. de aere locis & aquis.

(b) Vid. Ten Rhyne de morâ seu Artemisia- lis inustionis in Arthritide usu, & Prosp. Alpin. de Medici. Ægypt.

**I**N digitorum extremo, partium maximè sentientium concursus mirabilis nexuque peculiaris occurrit. Ad digitorum nempe tutelam fortioreque prehensionem supernè digitus tegitur ungulâ ejus substantia corneam duritiem æmulatur. Unguis hæc pars dura seu exterior, circiter totius, quando circumsectæ, dimidia, papillis cutaneis substratis intraque ipsius foveas locatis more & loco epidermidis incumbit contigua, absque tamen adhæsione; dum altera alba tene-riorque radix dicta, sub cutis cuticulæque duplicaturâ se abscondens iisdem pa-pillis substratis superjacet, fibrillisque tenuissimis per latera partibus vicinis ad-hæret. Hæc radix secatur perpendiculariter adeo ut lunæ partem (parte concavâ articulum respiciente) quodammodo sed vix sensibili referat. Inter radices oras & articulum circiter duarum linearum interjacet spatium, ejus unam & semissem lineam tendinis extensoris digiti expansio tenet, dum reliquum à fibrillis radi-cis, cute reflexâ subterque expansâ, occupatur.

Pars verò inferior digiti, tanquam molli puvinari tuta, præter cutem densam, texturamque cellularem, constat papillis nerveis numerosissimis, substantiâque pul-posâ digiti dictâ, mediâ inter carneam seu glandulosam & adiposam, vasis plu-rimis præcipue arteriosis cellulisque adiposis mirè intertexta. Sub hac jacet tendi-nis flexoris digitorum theca vaginalis ligamentosa seu semi-cartilaginea, tendinem undique coercens, itum & reditum fovens, mediante humore blando, ad instar synoviae parietibus internis lubricandis dicato: sub ipsâ tendo mobilis, prius te-res, simulac articulum scandit, expansione latâ per totam officuli internam su-perficiem planam, periosteo perforato, inseritur. Officuli apex summus seu capitu-lum scabrosum ex utraque parte ligamenti lateralis, supra quod incumbit suo pro-sustentaculo unguis, insertioni locum præstat. Ligamentum hoc à basis officuli la-teribus ortum juxta unguis totam longitudinem extenditur, apicique scabroso in-seritur.

Hiscæ fulcimentis extrema digitorum contra offensiones præmunita operas mul-tiplices multiplicique modo, absque incommodo, unâ cum quâdam voluptate navant.

His positis, Paronychiæ variæ species, illaque quæ directè ad Paronychiam non pertinent, facile explicantur. Paronychia siquidem vera fit, quotiescumque affec-tio dolore stipata, juxta unguem nata in abscessum definit; si morbi sedes sub iplo ungue aut radice lateat, tunc Paronychia non fit sed hyponychia non satis à Paulo Æginetta Astrucioque distincta. Nec arridet Paronychiæ distinctio Boerhaa-viana in 7 species, notante Il. discipulo interpreteque Van-Heems (a) cum hæc potius ad articulorum morbos pertinent quam ad Paronychiam, quæ juxta verbi Etymon *παρά* & *ὀνύξ* est affectus propè unguem natus. Nec confundi debet cum pterygio, unguium ipsorum morbis, quorum meminit Celsus libro 6°.

Si hic affectus ad oras aut latera radices unguis aut circum circa oriatur, ita ut nec tendinem extensoris musculi afficiat, nec ligamentum unguem sustinens, sed in ipsa cute hæreat; tunc fit Paronychiæ prima species, levior, tolerabiliorque, gallicè *mal d'avanture*, *Tourniole* vocata. Si verò sub ipsâ cute densâ, in textu cel-lulari vel substantiâ pulposa digiti lateat, tunc gravior adest Paronychia, seu secunda species, tumore, dolore, omnibusque inflammationis notis, unâ cum febre stipata. Si vagina tendinis afficiatur, tunc accedunt symptomata graviora, ut dolor magis excrucians profundiorque, febris, vigilia, convulsiones, nausæ, vomitus, lipothymia, &c. parvus aut nullus tumor apparet, præsertim si pars interna thecæ semi-cartilagineæ afficiatur, si verò exterior, tumoris paululum ob-

(a) Lib. de morbis nerv.

servatur, maculaque rubra in apice digiti orta destructionis seu erosionis pericondroseos signum est: in hac specie si morbus intra vaginam hæreat augeatque, tunc dolor per totum brachium usque ad axillam propagatur, manus quandoque tumor immanis observatur, sunt abcessus sinuosi usque ad malleum primam originem. Quarta species dolore profundiori, perterebranteque insignitur; nullus tumor apparet; accidit si mali fomes inter os & periosteum vel ligamenta, vel inter ipsa & periosteum, hæret. Si a carie ossis, ut Ambrosius Pareus dixit, originem ducat, vel fiat caries, semper macula aut stigma quoddam in apice digiti observatur.

### I I I

**I**N omni specie, multiplice observatione constat, teste, in primis, fabricio Hildano (Cent. 1. obl. 97.) quod si, incipiente paronychia, incidatur cutis, semper morbi sedes detegitur, ibique invenitur collectus quidam humor, plerumque subrufus, qui tanquam spina seu cuneus ibi infixus partes vicinas distendit, irritat tandemque dilacerat, unde dolor, irritatio, inflammatio, &c. In omni humoris cujuscunque collectione intra aut extra vata facta, felix eventus à liquidi aggesti sufflamine aut evacuatione pendet. Hoc non aequis semper obtinetur auxiliis. Quò major est metus ne collectus humor versus interiora proserpat eò exitus contenti festinator esse debet. Sic se gerit in omni tumore critico, pestilentiali, recte medens: etiam crudæ materiei mature datur aditus; tunc fluidum infensum, mobile, vagans, interiora minans, quâ datâ portâ ruit, visceraque à lethali metastasi sæpè vindicat. Idem periculum aestimatur, si abscessus in extremis natus, ratione structuræ, firmæ partium cohesionis ita includitur ut materiæ aggestæ difficilior sit exitus, & facilius sinuet intra partes nerveas tendineasque quàm protrudatur; tunc summum periculum est in mora, citòque aperiendus mali fomes.

### I V.

**I**N omnibus autem Paronychiæ speciebus ratione tendinis vicinitatis intra vaginam inclusi, cutis densitatis, compaginis ultimæ phalangis doloris atrocissimi capacis, partium nexûs firmâ arstatione insignis; quando humoris cujusdam noxii innoxie fit collectio, ferè semper plus ad interiora vergit quam ad exteriora. Materies inclusa vel abscessum molestum creat, vel profundius proserpens, tendinem aut tendinis vaginam afficit, dilaceratque undè gravissima mala, ipsaque mors, si segnius aut incautâ manu his opituletur. Idem periculum subit, si periosteum afficiatur; ossis nempe proxima caries aut ligamentorum tardam opem erosio sequitur. Ut vitentur hæc omnia, in principio, nam quandoque serò medicina paratur; citò adhibenda sunt tutissima auxilia. Quodnam autem præstantius aut promptius ferro, cujus ope ad libitum inciditur tumor aut locus dolens, quæriturque mali fomes, quo reperto, statim levatur æger, remittunt omnia. Si primâ, ope scalpelli, incisione, non cessat dolor, fidenter secundam adhibe sectionem: semper ichor quidam fluidus collectusque reperitur. Factâ incisione, effusoque humore noxio, fabricii Hildani more, pars spiritu vini theriacali alluatur aut aliquo simili. Quin si ipse tendo afficiatur, quâdam fibrarum dilaceratione excrucietur, nec ullo modo, post vaginæ incisionem, balsamicis, oleis essentialibus tepidis levare potest, tunc omnis curationis spes in illius sectione ponitur. Si malum intra periosteum hæreat infixum, usque ad os quandoque adigitur scalpellum, brevique liberatur ægrotans. Superest duntaxat observandum quod incisio semper juxta digiti longitudinem lateraliterque in ultima phalange fiat, ne lædatur tendo.

V.

**S**I obijciatur, multa mala plerumque ex profundâ incisione oriri posse, responso est 1°. quod ex illâ discrimen ortum numquam æque periculosum esse ac ipsa affectio; 2°. quod non semper hæc sic instituta requiratur, sed quando periosteum tendo aut vagina in parte inferiori digiti afficitur; 3°. quod hæc incisio profunda non fit uno ictu, cum latet mali fomes, sed repetitis vicibus & lateraliter usque dum reperiatur: tunc doloris cessatio est certum reperti indicium. Si quidam, inter quos, ex recentioribus eminent Cl. Fabre Foubertque in Palestrâ Chirurgicali expertissimi, dicant omnem incisionem inutilem esse imò quandoque nocuam, etsi dextere fiat, & illius loco exedentia, corrodentia ut sublimatum corrosivum micâ panis gummique Arabico subactum prædicent; illis opponi possunt Albucasis, Pigrei, Bayri, Marci Aurelii Severini, Ambrosii Paræi, Fabricii Hildani, & in primis Garengeotii in Paronychiæ curatione exercitatissimi felicissimique experimenta, necnon innumera exempla, quibus probatur nunquam Paronychias felicem habuisse exitum, nisi prius peractâ incisione; assertionis nostræ argumentum etiam petitur ab infelici, infido, inefficaci, medicamentorum usu quæ tanquam specifica in Paronychiis prædicantur: talia sunt herba quæ ob usum dicitur à Galeno Paronychia, lixivium, aqua aut acetum fervens, Galla Quercina, emollientia ipsa, &c: his omnibus, Paronychiæ succurrendæ imparibus, concludere pronum est quod ad partis incisionem, tanquam ad sacram anchoram semper confugiendum sit.

*Ergo in omnibus Paronychiæ speciebus, partis incisio tutissimum præsidium.*

#### DOMINI DOCTORES DISPUTATURI

*M. Joannes-Jacobus NOLLAN,*

*M. Claudius LAFISSE.*

*M. Jacobus BARBEU DUBOURG, Regia Scientiarum Academia Stokolmiensis & Societatis Regiæ Monspeliensis Socius.*

*M. Bartholomæus-Petrus DELANOE, Eques, in Supremo Senatu Patro-*

*M. Carolus GEILLE DE SAINT LEGER, Eques, Consiliarius Medicus Regis ordinarius, primi ordinis & totius Equestris agminis in exercitu Medicus primarius.*

*M. Joannes-Baptista MESSENCE.*

*M. Benjaminus-Michael SOLIER DE LA RQMILLAIS.*

*M. Antonius GARNIER.*

*M. Carolus-Franciscus THEROULDE DE VALLUN, Eques.*

Proponebat Parisiis JOANNES-JACOBUS PAULET, Occitanus, Doctor Medicus Monspeliensis, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theses Author, A. R. S. H. 1772.

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Quillau, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi 1772.